

*DISSSERTATIO ACADEMICA,
ANIMADVERSIONES NONNULLAS IN ILIA-
DIS HOMERICÆ XVIII: 509 — 541.
SISTENS.*

Quam

Conf. Amplisf. Fac. Philos. Reg. Acad. Aboëns.

PRÆSIDE

Mag. JOHANNE BONSDORFF,
REG. ACAD. BIBLIOTHECARIO,

PRO LAUREA

Publico examini modeste offert

FREDRICUS WILHELMUS PIPPING,
Stipend. Bilmarkanus, Borea-Fенно,

In Ædibus Scholæ Cathedr. die xvii. Jun. MDCCCV.
Horis p. m. confv.

ABOË, Typis FRENCKELLIANIS.



Negandum quamvis non sit, HOMERUM, etiam quoad stili perspicuitatem, Poëtarum esse Principem, omnique ævo, præsertim nostro, in Divis Ejus carminibus illustrandis & ad naturalem suum, temporis injuria haud raro commaculatum, nitorem restituendis, summa elaborasse ingenia; frustra tamen aliquis, aut bonum nunquam dormitasse HOMERUM, aut omnem in scriptis suis ambiguitatem, Interpretum diligentia & acumine remotam esse, contendere. Ut enim taceamus, Vatis hujus Divini μύθων, & phantasiæ suæ quasi exundationem, haud levem in poëmatibus Ejus interpretandis faceſſere remoram; ipsa lingua, plurium sæculorum serie emortua, ſubſidiorumque Hermeneuticorum, Criticorum puta & Historicorum, nondum ſublata & nunquam fortassis penitus tollenda penuria, anſam præbere videntur ſuspicandi, vel feris nepotibus, sua hac in re exercendi ingenia, patere amplifimum campum. Cave tamen credas, nos ideo Veterum & Recentiorum parvi æſtimare labores & ſtudia; Semper enim

"Est quadam prodire tenus, si non datur ultra."

Locorum vero, quibus voce quaſi ſubrauca, præter conſuetudinem, cecinerit optimus modulator HOMERUS, illuftrius, ambiguitatis nomine, vix dabitur exemplum, quam eſt illud,

A

quod

quod II. XVIII. v. 509—541. occurrit. Licet namque in Poëtica illa clypei Achillei, a Vulcano, Deorum artifice, mirifica & Divina prorsus arte excusi, descriptione, felici adeo Poëta versatus sit successu, ut tabulam stilo sculptorio exaras- se, non litteras nudas memorie tradidisse, haud quidem injuria fentias; imaginem tamen urbis obseßæ, Ejusdem Vulca- ni artificio, scuto laudato insculptam, tanta l. c. delineatam videbis ambiguitate, ut mirum non sit, inde ab antiquissimis temporibus, de genuino loci hujus Homerici sensu disputasse Interpretes.

Hinc, specimen quoddam Academicum edituri, inanem aggressi nobis non videmur operam, si diversis Virorum Clarissimorum interpretandi periculis recensendis & dijudicandis, nostras, licet pertenues, applicuerimus vires. Quodsi autem opus nostrum arrogantie juvenilis odorem spirare censeat Le-ctor; nos quidem, vestigijs aliorum inhærentes, cogitata co- rum examinare, iisque rite perpensis nostrum qualemunque superstruere judicium, satius duxisse & convenientius, quam novam quandam & antea minus calcatam viam ingrediendi & nubes captandi studio, sine duce errare & in errores gravio- res forsan irruere, sciat: Atque certo nobis spondemus, in-stitutum nostrum, Legentium æquitate & benevolentia facile- ri excusatum.

En igitur, quem explicabimus, locum:

V. 509. "την δέ τερην πολιν αμφὶ δυώ στρατοι εἴσατο λαῶν,
 "τευχεσι λαμπόμενοι Διχά δὲ σφισιν ηδανέ Βοίλη,
 "η διαπραθεῖν, η ανδιχά πάντα δασασθαι,
 "κτησίν, ὅσην πτολιεθρον επηρεαστον εύτος εεζγει.
 "οι δ' ουπω πειθούτο, λοχω δ' ὑπεθωρησσούτο·
 "τειχος μεν ρ' αλοχοι τε φίλαι και νηπια τεκνα
 515. "ρυατ, εφεσταστει, μετα δ' ανερει, ους εχε γῆρας." "σι;

- "οί δ' ισαν· ηρχε δ' αραι σφιν Αρης καὶ Πελλας Αθηνα,
 "αμφω Χρυσειω, χρυσειω δε είμαστα εεθη,
 "καλω καὶ μεγαλω συν τευχεσιν ὡς τε θεω περ,
 "αμφις αειζηλω· λεσοι δ' υπολιβονες ησαν.
 520. "οἱ δέ στε δη γηπανον, ὁθι σφιτιν εικε λοχησαι,
 "εν ποταμω, ὁθι τ' αρδμος εην παντεσσι Βοτοισιν,
 "ενθ' αραι τογυ' ιδοντ, ειλυμενοι αιθοπε χαλκω.
 "τοισι δ' επειτ απανευθε διω σκοποι ειστο λαων,
 "δεγμενοι διπποτε μηλα ιδοισατο καὶ ελικας Βους.
 525. "οἱ δε ταχα προγενοντο, διω δ' αμ? εποντο νομησ,
 "τερπομενοι συριγξι· δολον δ ουτι προνοησαν.
 "οἱ μεν τα προσδοντες επεδραμον, ακα δ' επειτα
 "ταμνοντ αμφι βουν αγελασ καὶ πωει καλα
 "αργεννων οιων· κτενοι δ' επι μηλοβοτηρας.
 530. "οἱ δ' ας ουν επιθοντο πολυν κελαδον παρα βουσιν,
 "ειραων προπαροιθε καθημενοι, αυτιν' εφ' ππων
 "βαυτες αερσιποδων μετεκαθον, αιψα δ' ικοντο.
 "στηταμενοι δ' εμαχοντο μαχην ποταμοι παρ' οχθας,
 "βαλλον δ' αλληλους χαλχηρεσιν εγχειμοι.
 535. "εν δ' Ερι, εν δε Κυδοιμος ομιλεον, εν δ' ολοι Κηρ,
 "αλλον ζων εχουσα νεοντατον, αλλον αουτον,
 "αλλον τεθηνωτα κατα μοδον ελκε ποδοιν.
 "είμα δ' εχ? αμφ? αρμοισι δαφοινεον αίμασι φωτων.
 "ώμιλευν δ', ωστε ζωι βροτοι, ηδ' εμαχοντο,
 540. "γερους τ' αλληλων ερουν κατατεθηνωτας."

Totam hanc ῥητιν, magna omnino, a stilo Homericō alias abhorrente, ambiguitate laborare, quemque, vel summa attentione legentem, facile daturum confidimus. Omnem vero obscuritatem, ex vago & indeterminato vocabulorum quorundam, in primis vero pronominis οι (v. 513. seqq. occurrentis) usu, repetendam esse, satis testantur, qui in sensu loci nostri constituendo desudarunt, longe quamvis invicem diffidentes, Interpretes. Cum enim Poëta, initio loci hujus ve-

xati, mentionem faciat duorum exercituum, qui castra sua
juxta unam eandemque collocaverant urbem, nihilque, unde
certo, quinam exercitus hi fuerint, aut quem in finem ur-
bem illam circumdederint, conjicere licet, adjungat; ma-
gna & perdifficilis inter sagacissimos Interpretes, utrum duo
illi *exercitus* ambo hostiles fuerint, an alter obsidentium, al-
ter vero oppidanorum, exorta est controversia, eoque magis
agitata, quod certo statui posuit, loci nostri interpretationem,
& ad quænam subjecta, pronomina illa in contextu frequen-
ter recurrentia, sint referenda, ex hac quidem magnam par-
tem pendere quæstione. Celeberr. DAMM a), KÖPPEN b), &
qui *Hujus* Commentarios in HOMERUM altera vice edidit
HEINRICH c), locum ita interpretantur, ut exercituum, qui
circa urbem castra posuerant, alterum fuisse hostilem, urbem
obsidendi animo appulsum, alterum oppidanorum, se suaque
defendendi consilio urbe egressorum, significatum voluerit
Poëta; in eaque interpretatione Veterum quosdam, PORPHY-
RIO d) laudatos, minime vero probatos, qui exercituum al-
terum civibus fuisse *amicum* (*φιλιον των ευδον*), alterum *hosti-
lem*, statuunt, certo respectu sibi habent præeuntes. Quam-
vis vero negandum non sit, vocabula *εἰστο αὐτῷ πολὺν*, pro-
prie quidem obsidionem non indigitare, sed tantum, exerci-
tus illos, castris ante urbem locatis, in armis consedisse, sig-
nificare, eoque ex argumento, minime impeditam, saltem ge-
mo

a) Vide DAMM *Novum Lexicon Græcum Etymologicum & Reale*, Berol. 1765. p. 961.

b) V. Erklärende Anmerkungen zum Homér, von J. H. J. KÖPPEN.

c) V. Libri nota b) supra cit. edit. 2:am Hannov. 1804, Vol. V. p. 157. — Forsan inter hos etiam numerandus est Voss (Homeri Ilias. Altona 1793. 8:o), licet dubiam adeo hujus loci versionem
dederit, ut incertum prope sit, cuiusnam sententiæ partibus ad-
flet. Quantum tamen nos intelligere potuimus, idem cum KÖPPE-
NEN facit.

d) In Libro *Σητηματων ὁμηρικων* VII:o.

nō linguae non repugnantem, esse conjecturam, alterum exercitum, ipso forsan ex oppido suis egressum; nulla tamen cum Celeberrimi viri opinionis suae ceterum protulerint argumenta, auctoritate eorum, licet haud quidem obscura, eo minus caeca fide acquiescendum esse judicamus, quo certius fit, notionem *circumfendendi & cingendi*, quam verbo *ημας*, particulæ *αμφι* adjuncto, competere omnes concedunt, ipso fenu, commode, & salvo (imo imperante, ut mox videbimus) contextu, ad *obsidionem* transferri. In eorum itaque partes transire non dubitamus, qui contrariam tuendo sententiam, duos illos a Poëta commemoratos exercitus, nonnisi de hostili, in duas, urbem communibus viribus obsidendi gratia, divisiones constituto, intelligendos esse autumant. Præterquam enim quod Veterum non minus quam Recentiorum Interpretum auctoritate communita quoque sit hæc interpretatione *e*), suam in ipso textu reservatam habet probabilitatem & vindicias. Licet namque verba *διχα δε σφισιν ηδανε βελη* (v. 510), Celeberrimo KÖPPEN ad alterutrum a Poëta commemoratorum referre placeat exercitum, eoque ex capite pronomen illud *σφισιν*, utpote indeterminate satis adhibitum, pro *τω μεν sc. σφετω*, sive *τοις δε explicare*; haud facile tamen quisquam nobis persuadebit, linguae rationes hanc permit-

e) Inter priscos longe eminet PORPHYRIUS, qui l. c. variis Antiquorum de genuino loci Homerici sensu expositionibus enarratis, vestigia *Alexandri Cottyaenesis* consecutus, eam maxima probabilitatis specie commendatam censet explicationem, qua saepius laudatos exercitus, obsidentes ambos suis statuitur. Nec ab hac interpretatione differt, quam *Agallias Corcyraeus* apud EUSTATHIUM (*παρεκβολαι εις την ομηρον ιλιαδαν*) tuetur. — Cum his vero, inter Recentiores, idem faciunt CLARKE (*Homeri Ilias cum annot.* Vol. II. p. 175, ubi *Alexandri Cottyaenesis* nuperrime laudata interpretatione, totidem ac apud PORPHYRIUM legitur verbis), HEYNE (*Homeri carmina cum brevi annot.*), POPE (*The Iliad of Homer, translated*), atque BARNESIUS (*Homeri Ilias & Odyssæa*).

mittere interpretationem. Si enim verum est, quod inter omnes constat, pronomen $\sigma\varphi\epsilon\iota\varsigma$, nunquam de uno aut altero e numero duorum, sed ubique apud Auctores Græcos dualiter (sit venia verbo adhiberi; neque ex altera parte negari poserit, *duos* illos *exercitus*, quia bifariam *inpis* ($\sigma\varphi\iota\varsigma\omega$), urbem aut funditus (incendio forsan, quia $\delta\alpha\pi\epsilon\vartheta\omega$ & $\delta\alpha\pi\eta\vartheta\omega$ eandem fere habent potestatem) evertendi, aut pacem ea conditione, ut dimidiam bonorum suorum partem ulro sibi tradarent oppidani, ineundi, placuisse confilium, de exercitu hostili in duas partes diviso ($\pi\epsilon\iota\varsigma \varsigma\varphi\alpha\tau\epsilon\mu\alpha\tau\varsigma \epsilon\iota\varsigma$ δύο δημημενά, ut Scholiaста apud BARNESIUM habet), esse intelligendos. Lubenter namque assentimur PORPHYRIO, virisque Celeberr. CLARKE, Barnes, HEYNE, KÖPPEN & Voss, qui verba modo allata $\delta\chi\alpha\delta\epsilon\sigma\varphi\iota\varsigma\omega \eta\delta\alpha\varsigma \beta\epsilon\lambda\eta$ &c. ita interpretantur: hostes, urbem obsidione claudentes, dupli belli finiendi consilio inito, oppidanis, utrum dimidia fortunarum suarum parte hostibus tradita, obsidionem solutam vellent pacemque restitutam, an postulationi resistentes, urbem suam sine misericordia expugnatam & dirutam aspicere, decidendum reliquisse. Ut enim taceamus, talem cum urbe obsessa pacisceandi morem apud antiquos, ut bene observat HEYNE, obtinuisse, neque probabile videri, copias obsidentium, licet bifariam consultantes, quoad consilium urbis oppugnandæ, ut POPE vult, fuisse dissentientes; verba, quæ mox sequuntur, οἱ δ' ἀπω πειθοῦτο, haud obscure significant, pacis obtinendæ rationes oppidanis fuisse communicatas, ipsos autem, utpote viribus suis adhuc residuis confidentes, ad minas hostium imperterritos, aures, eorum non dedisse propositioni.

Quinam vero fint οἱ λοχω ὑποθωρησσομενοι (v. 513), utrum oppidani, an hostiles illi, de quibus hactenus disputavimus, exercitus, spinosa & implicata adeo est quæstio, ut vix ac ne vix quidem mirandum sit, Interpretes, in subjecto horum verborum definiendo (unde tamen totius loci Homericī pen-

pendet interpretatio), maxime esse dissentientes. Celeberr.
DAMM (in *Lex.* sub voce *λοχος*), affirmare non dubitat, in-
fidias ab iis fuisse paratas, qui urbem amabilem obsidione cir-
cumclusam tenebant f). KÖPPEM autem, verba *λοχω* ὑπο-
θωρησσοντο idem esse ac προς λοχον ὑποθωρησσοντο conjiciens,
Oppidanos, nullis a se infidiis apparatis, contra eas tantum,
quae ab Oppugnantibus struerentur, & quarum mentionem fa-
ctam esse putat v. 516. seqq., clam arma induisse, contendit.
HEINRICH vero, novam & simul arduam, ut videtur, loci
hujus interpretandi viam ingressus, infidias ab utraque parte,
tam Oppidanorum, aras focosque contra hostium impetus de-
fendentium, quam Oppugnantium, colligatas fuisse, eoque
paucto verba λοχω ὑποθωρησσοντο (v. 513.) ad Oppidanos, i-
psas vero infidias, inferius v. 16. seqq. descriptas, ad Obsi-
dentes copias pertinere, existimat. — Ubi vero argumenta,
quibus fidem conjecturis suis facere student laudati Interpre-
tes, aequa perpendere voluerimus lance, longiori non opus
erit demonstratione, contextum positionibus hisce maximopere
esse adversantem, multoque magis probabilem eorum videri
sententiam, qui verbis λοχω ὑποθωρησσοντο ad Oppidanos re-
latis, hos quidem infidiarum struendarum auctores habendos
esse, ovesque & armenta Obsidentium, ab iisdem per infidias
capta fuisse, statuunt g). Quum enim contextus, ex commu-
ni Interpretum calculo, in eo sit evidens, verba οι δουπω
πειθοντο, nonnisi ad Oppidanos, dimidiam bonorum suorum
partem Obsidentibus tradere recusantes, esse referenda; haud
facile nobis quidem persuadere possumus, verba subsequentia
λοχω δυποθωρησσοντο, aliud, quam quod proxime præceser-
rat, respicere subjectum; in primis cum ex insigni illo, qui in-
ter v. v. 513—525 deprehenditur, nexu, fas sit colligere,

ora-

f) Ab hac interpretatione non discrepat *Alexandri Cotyrensis apud PORPHYRIUM* l. c. Sed parum sibi constantem loci nostri esse Inter-
pretem, ex eodem didicimus *PORPHYRIO*.

g) Hanc sententiam tuentur *PORPHYRIUS*, *BARNES*, *CLARKE*, *Voss*,
HEYNE & *POPE*.

orationis seriem maxime fore perturbatam, si vocabula sæpius commemorata λοχω δύποθωρησσοντο ad Obsidentes transferre volueris. Hinc neque refragatur KÖPPEN, eos, qui *clam fese armaverant*, fuisse Oppidanos. Contendente vero laudatissimo viro, ὑποθωρησσει λοχω idem esse ac προς λοχων (*adversus insidias*), præfilteri non veremur, graviter hac interpretatione in textum Homericum esse peccatum. Ut enim silentio prætereamus, conjecturam suam nimis esse quæsitam, vulgaremque per eis λοχω explicationem, ad Græcissimum proprius accedere, in oratione antecedenti, ne verbo quidem de insidiis ad urbem dolo oppugnandam fruendis narratum. Quodsi autem insidias quasdam sibi ponendas præfensissent Oppidani, seque ad easdem repellendas (ut KÖPPEN vult) armasissent; quæritur: quomodo factum sit ut doli nihil metuentes, pecora sua extra urbem, sine firmiori, quam duorum Pastorum præsidio, emiserint potum? Quique factum sit, ut Pastores illi intrepide adeo & rerum suarum afflictarum oblii, fistulis feso oblectantes, processerint? Quæ omnia, in Obsidentes melius quadrare, nemo non intelligit. — Quod vero ad conjecturam Celeb. HEINRICH attinet, eo loco habendam esse judicamus, ut, contextu, qui non nisi unius generis insidiarum mentionem facit, repugnante, nullam mereatur attentionem. Ubi enim, monente HEINRICH, *oi de v. v. 516, 520 & 527, de hostibus, insidias gregibus Oppidanorum struenteribus, interpretandum sit*; nos quidem non intelligimus, ubinam gentium, & quem in finem, insidiæ, ad quas hostibus struendas Oppidani feso armasse *v. 513.* dicuntur, tensæ erant, aut quomodo hæc explicatio cum iis, quæ *v. 530 seqq. narrantur*, conciliari poterit. Si enim de Oppidanis, ut KÖPPEN & HEINRICH urgent, Poëta *v. 531.* loquitur, sponte oritur quæstio, num salva veritate dictum existimari queat, Oppidanos, εἰρων προπαροιθε, licet in insidiis latuisse perhibeantur, confessisse? Idem valet de sequentibus αυτικ' εφ' ιππων βαρτες. Quid enim equis opus erat in insidiis?

His igitur rationibus inducti, adserere non dubitamus, loci nostri contextum, eorum maxime favere partibus, quī verba λοχω ὑποθωρησοντο, & ipsas a Poëta commemoratas insidias, ad urbis referunt Cives. Contendentibus vero adversariis ^{h)}, plane improbabile videri, hostes urbem oppugnantes, pecora in expeditione sua secum duxisse, indeque prono quasi fluere alveo, armenta, quibus infidiatum legitimus, Oppidanis esse adjudicanda; restat, ut ex hac objectione paucis nosmet expediamus. Atque hoc quidem respectu universo notandum est: a nostris moribus, ad antiquorum instituta minime esse concludendum. Licet namque ad fidem minime sit pronum, gentes antiquissimas, quoties bella vicinis suis aut peregrinis longeque a patria remotis nationibus inferrent, suos secum eduxisse greges ⁱ⁾; ex iis tamen, quae de oeconomia Græcorum bellica apud HOMERUM pasim occurunt, locis, colligere fas est, a Græca minime alienum fuisse consuetudine, pecora, quae hostibus suis eripuissent, in praefentes & futuros usus, una cum castris suis promovere, gentesque Græcanicas, sœviente bello Trojano, haud contemnedos, prope castra sua pavisse greges & armenta. Quoniam nempe apud HOMERUM, quoties de foedere pangendo, de exsequiis faciendis, de certamine instituendo, de conviviis expulisque parandis, quid agatur, mentio semper boum, ovium, caprarum, equorum, suum, ceterorumque animalium, quibus ad hæc omnia rite peragenda opus erat, injiciatur; haud quidem injuria inde concludere licet, Græcos laudatos, magnam utique animalium, quae hunc usum præstarent, in promptu habuisse copiam, neque absone adeo, ut KÖPPEN judicat, eos conjicere, qui armenta in loco nostro commemorata, *Obfidentibus* vindicant.

B

Ex.

^{h)} Cfr. KÖPPEN I. c.

ⁱ⁾ Israëlitas terram Cananæam armata manu occupaturos, armenta secum duxisse, longe alia est res.

Ex nostra itaque sententia, Poëta duos exercitus hostiles, qui urbem quandam obsidione cinxerant, in scuto Achillis depictos sicut, tabulamque illam & quæ ab utraque, tam Obsidentium, quam Obsessorum parte agerentur, hunc fere in modum ex suo ingenio complet: *Oppidanos* scilicet, ut hostibus, qui urbem, nisi dimidiari bonorum partem sibi concederent Cives, evertere minitati erant, detrimentum, quantum fieri posset, inferrent, ad infidias ovibus & armentis hostium struendas applicuisse animum, eoque consilio, postquam uxoris suis, liberis & senibus murorum reliquissent custodiam, ad fluvium, quo armenta sua potum ducere consueverant hostes, occulte, duobus speculatoribus, qui greges adventantes significarent, seorsim constitutis, confesdisse; *Obsidentes* vero, pecudibus suis, quæ paullo post aquatum venirent, illico direptis, & Pastoribus, nullas præsentientibus infidias, quin potius dulci fistularum concentu placide progredientibus, interfectis, ad magnum illum, qui sic quidem excitabatur, tumultum, dimisso concilio *k)*, præcipites, equis conscenfis, ad vetos fuisse in auxilium, varioque & incerto marte, gravem, ad fluminis ripas, cum Oppidanis insidiatoribus commisiffse pugnam.

*k) E*igæwy sine dubio *concionem* Obsidentium spectat. Consultantibus scilicet Obsessoribus, quibus artibus Urbs evertenda esset, Oppidani greges Obsidentium, qui aquatum iverant, aggrediuntur.

